

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 101. (*Neovidensis* 1806. Nro. 95.)

*Secretum litterarum commercium vivos inter
ac mortuos.*

Clotildis salutem dicit cuidam Borussi-
co Officiali in campis Elysiis

Ex mundo superiore.

Elysium--Meum.-- Die Veneris 12. Decbr. 1806 (*Neov.* 28. Nov.)

Agmina recesserunt, nox est tristissima;
omnes dormiunt, et fruuntur optata post
terribilem conflictum quiete. Ego sola sum;
o Alexi; sed imago tua mihi ante oculos
obversatur. Quocumque aspicio, praesentem
te intueor, sanguine manantem cum morte
colluctari video. Heu! jam hic, jam ibi te
cerno, Superi! miseremini sortis meae, ma-
num tuam apprehendo — horrida species!
est somnium!

Heroes, qui ita strenue dimicarunt ad
novas abiere victorias; cruenta fuit pugna,
cruenta victoria; occubuimus, et tu dilecte
Alexi! nobiseum. In quanta sum sollicitu-
dine! quantis perturbationibus jactatur animus
meus!

In fide Christi nata, et in eadem a Pa-
rentibus educata, certisque argumentis con-

victa, post hanc vitam dari alteram, ibique futura praemia, nosque iterum visuros, ista scribo; et quidem scribo tibi, dilecte Alexi! quem post infelix etiam praelium ibidem vivere non dubito; tu certe memineris tuae Clotildis, quomodo enim posses absque ea jucundam ducere vitam? Forte praesens mihi es? forte axaudis mea suspiria? Forte lenire vis dolorem meum ex infelici tua morte conceptum! Ah! video te, manum tuam stringo — Superi! erat tantum phantasma!

Attamen colligo animum, spes futurae vitae est unicum mihi solatium. Ibi itaque te visura sum, ibi tecum confabulabor, teque Alexi! amabo. Quid est praesens vita, quam perpetua afflictio; ibi primum beabimur; noster amor in Coelis nobis novum gaudii genus suppeditabit.

Primo momento, quo mortem tuam intellexi, tanto sum dolore percita, ut loqui non valuerim, resumtis autem viribus, oblita reverentiae ausa sum expostulare cum senenostro Patre, quod ad ineundum matrimonium suum consensum denegaverit, usque dum fueris centurio renunciatus. Dilecte Alexi! bono meo Patri obortae sunt lachrymae; neque indigne tulit meas querelas. Sopita tandem vehementia mei doloris exposuit mihi, quomodo Divina providentia omnia sapienter ordinet, adduxit dein exempla, quomodo illa permittat Monarchas cadere, imo etiam vita privari; Principes imperio dejectos, ex suis provinciis, et splendidis arci-

bus exturbatos debere in solo alieno errare ; ab illa humiles erigi, superbos autem deprimi ; ab illa denique nos in hac miseriarum valle tentari, qui forte omnes has calamitates promeriti sumus. Interim placidiore subiecit ore : mortem Alexis sibi cordi esse, quod egregius fuerit miles, et — bonus Christianus. — Alte infixæ pectori hærent tua ultima me discedentis verba : Vale charissima Clotiadis ! vado ad bellum, vel ero Centurio, et tui — mea, vel moriar. Quale hoc dilemma ! Verba ista mihi identidem recurrebant. Verum, superi ! mors ! hæc sola effectu comprobata est.

Singulari casu veni in notitiam tuæ mortis. Die quadam spectavi copiosos per nostrum locum transeuntes milites ; tristi vultu intuebar eos proficiscentes, ita mecum animo reputans : — Quidam eorum forte interimet meum Alexin ; in quovis tormento, in quovis sclopo videre mihi videbar globum qui te e numero viventium exturbabit ; Tota nox plena erat tumultuum, ego primum indormivi circa matutinum tempus ; in somno mihi oblata fuit species tua, quam fortiter pugnaveris, et quomodo demum plumbea glande trajectus concideris. Accurri, imploravi auxilium, omnia conquisivi, quæ sanguinem sisterent. Sensi, quasi me amplexari voluisses, atque ultimum vale proferre. Manum applicui vulneri, et calido me perfundi cruore animadverti, extremum te trahere spiritum audivi, in lachrymas soluta sum, et — clas-

sicam equitati pone nostram domum progredi-
 denti datum me dormientem excitavit. O
 dilecte Alexi! in somno reipsa lachrimas fudi,
 erant illae verum indicium non somnii, sed
 heu! tristis veritatis.

Ex hoc tempore nihil erat, quod mihi
 potuisset consolationem adferre. Infelix rela-
 tio aliam excipiebat in ephemeridibus. Meus
 Pater, licet conatus fuerit dolorem reprime-
 re, nusquam tamen invenit lenimen. Mea
 vero mater queritur de injuria temporum.
 Noster aetate confectus sacer curio quotidie nos
 invisit, multa commemorans de bello septen-
 nali, quomodo tunc jam omnia perdituta
 bantur, at Fridericus Magnus omnia restitu-
 erit, et plura similia bellica facta. Verum
 Pater meus contractis humeris altum solet
 tacere.

Ante aliquot dies datum est apud nos hos-
 pitium captivis Borussicis; Cuidam juveni Of-
 ficiali gallico, qui captivos adduxerat, obti-
 git habitatio in nostra domo. Solicite con-
 sideravi venientes Borussos, an non reperia-
 tur inter eos quispiam de tua legione, dilecte
 Alexi! Quia autem neminem deprehendi,
 cogitabam, te una cum tuis adhuc in armis
 esse, fortiterque decertare. Verum occulta
 inclinatio excitavit in me desiderium, ut ca-
 pereris, sic enim sperabam te posse videre,
 tibi que dicere, quid animus meus praesagiat
 ex tristi nocturno viso. Alexi! haec spes me
 aliquantulum erexit.

Vocata sum ad coenam, Pater me juve-

ni illi Officiali gallico stitit; Ast, quis mihi tunc sensus fuerit, nescio; Me visa videbatur juvenis hic percelli; ita curioso me consideravit oculo, ut rubore suffunderer. Fixum hunc aspectum tribui vivacitati ejus indolis; statueram recedere, at ille maiorem in modum rogavit, ut manerem, habere se gravia, quae aperiret.

Offendi, inquit, in Borussicum Officialem in p. cælio vulneratum, et omni ope destitutum. Dato eidem meo equo deduxi eum pedes ad vicinum pagum. Generosus vir mihi gratias egit, sed vulnus erat lethiferum. Obligato vulnere curavit me ad se accersendum. Nobilissime virorum, ait, nosti, me mortem non evasurum, ausimne petere a te officium humanitatis? Quid quid id est, jube, sum ad obsequia paratus, reposui. Dii itaque remunerentur tuam benignitatem. Scito, a me amari certam personam. deliciae meae me expectant, ut perpetuam ineamus vitae societatem. Accipe ejus effigiem; proripit illam de pectore prope ad vulnus, evenire potest, ut cum illa forte convenias. Ah! mea Clotildis habitat — — Hic sanguis prorupit de vulnere, illeque in brachiis meis vivere desiit.

Imaginem hanc prae manibus habeo, ista est; inter illam, et hanc personam (me indicans) invenio tantam similitudinem, ut dubitare nequeam, me reperisse, quod quaesieram. O Alexi. Hic exanimi similis corui, tu moriturus viro huic tradidisti meam ef-

figiem. Deportata sum in meum cubile, ubi recuperato animi vigore circa lectum con-
spexi lachrymantes Patrem, Matrem, et ge-
nerosum hunc virum, arrepta dein imagine
sangvinolenta, et ex una parte inflexa, fatalis
enim globus eam transverberaverat, excla-
mavi, heu quare me non continebat vivam,
ut simul tecum obiissem! — Sed propediem
nos videbimus. O coelestia gaudia! bone
Alexi! veniam ad te. Atque hoc est Sola-
men, quod nunc mihi, tibi que impertiri pos-
sum; — iterum, iterumque dico veniam.

Non dubito, te quoque cupidum esse
audiendi bellicos eventus; dabo eos in com-
pendio:

Vigesima octava, et nona relatio bellica.
Berolino 12. hujus. Die 7. lustravit Impera-
tor in Aula Berolinensi Dimachos Generalis
Klein, qui in praelio 14. Octobris habito
prae ceteris se distinxerunt, variasque iis con-
tulit dignitates, tum inivit numerum bellici
apparatus, rerumque ad struendos pontes
necessariarum. Generalis Savary cum 500
viris cepit Vismariae Generalem Usedom,
duas item ejus turmas equestres, nec non
duas legiones Granatariorum, atque complura
tormenta. Tribunus Venatorum ex divisione
Mareschalli Davoust ingressus est Posnaniam,
quo autem animo fuerit ab incolis exceptus,
nequit explicari, plena erat hominum civitas,
fenestrae festivo ornatae, equites aegre poterant
plateas transire. Supremus Architectus, Ber-
trand, Adjutor Imperatoris Stetini conscendit

navim exploraturus hostiles machinationes. Ita Borussici Generales, qui vana gloria elati Austriacos Generales explodebant, scenam ad Ulmam peractam quater renovarunt: Primum deditioe Erfurti, postea captivitate Principis Hohenlohe, tum traditione Stettini, ac denique deditioe Generalis Blücher. Lubeca magnam rerum jacturam passa est, repetat damnorum compensationem ab iis, qui bellum ad maenia ejus deduxerunt. Ducatus quoque Mecklenburgicus partim a Gallico, partim a Borussico exercitu vastatus est. Provincia haec intimum fovet nexum cum Russia; ejus sors documento erit Principibus Germaniae, qui remota quaerunt foedera cum Gente, quae nihil malorum sentit ex infortunio, cujus causa est, quaeve nulla ratione tuetur, quibus necessitudine sanguinis, arctissimaque societate jungitur. His ita se habentibus complura nostri exercitus agmina congregantur ad Vistulam. Cursu publico Varsoviensi plures ex Russia interceptae epistolae allatae sunt; ex quibus patet in hoc Regno fabellis Anglicanarum ephemeridum magnam fidem tribui. Videtur Russia persuasa esse, Massenam esse mortuum, Neapolim a Calabritanis occupatam, Regem fugisse Romanam &c. Si improbus Sidney Schmid, dedecus militiae Anglicanae, nonnullos ad triremes damnatos armavit, atque instruxit, ut singulares homines interimant, ut divites, et pacatos incolas confodiant, adsunt loca

suppliciorum, in quibus debitas dabunt poenas. Collegium rei maritimae Anglicum non adversabitur nomini, quo a nobis Sidney Schmid condecoratur. Petropoli etiam expectantur victoriae a militia Corcyrensi, sed brevi palam fiet, eam vix facta excensione ad oram Catarensem ita domitam fuisse a Generali Marmont, ut pars caesa sit, pars autem suas naves repetierit. Longe enim aliud est cum Gallis, quam Turcis conserre manus. Verum quisunque fuerit rerum exitus, Russi parati sunt omne opprobrium a se avertere. Senatus declaravit in pugna ad Austerlitz non esse Russos, sed tantum eorum foederatos profligatos. Si fuerit novum praelium ad Vistulam commissum, iterum non Russi vincuntur, sed alii, licet, uti tunc, Russiae foederati nullos habeant milites, quos possent Russico exercitui adjungere. Scripta, in quibus motus, et itinera Russicarum copiarum continentur, venerunt ad manus gallicorum Generalium. Nihil esset magis risu dignum, quam designationes Russorum, si non majorem mererentur cachinum vanae eorum spes. Bellum hoc debet esse ultimum; In ejus auctores ita severe animadvertendum est, ut, quicunque imposterum cogitaret congregi cum Gallis, antequam hoc consilium suscipiat, perspicue sciat, qua poena sit afficiendus.